¶ Præfatio in Commentarios D: *Nathanaelis Baxteri in D: Pauli* Epiſtolam ad Coloſſenſes, ad invictiſsimum Principem IACOBVM, eius nominis Primum *Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hybernie Regem,* fidei Chriſtianæ Propugnatorem fæliciſſimum, &c.

LONDINI
Excuſum per Valentinum Simſium.

Illustrissimo & invictissimo Prin-

cipi IACOBO, *Dei gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Regi, Fidei Catholicæ & Apostolicæ Propugnatori celeberrimo, & insularum Britannicarum Monarchæ fœlicissimo, Nath: Baxterus Novi Collegij in Hiberniâ Gardianus, & ibidem Sacræ Theologiæ professor publicus summam precatur fœlicitatem.*

Vùm non ignorem (illustrissime Monarcha) Summos Theologos qui præclara sua opera in publicum proferre conentur, semetipsos, famam ac existimationem suam omnium hominum Censuris exponere: mihi certum ac deliberatum fuit ita viuere, vt nullo indicio quispiam me vixisse sentiret: Nec sine ratione insanire mihi videbar. Eò enim mortales, (ætate quisque suâ, sunt redacti, invidiâne dicam an innatâ pravitate nescio, vt doctissimorum virorum neminem, qui pio studio Ecclesiæ prodesse cupiat, tantâ fuisse fœlicitate beatum vnquam obseruauerim, qui Aristarchorum iudicium temerarium, falsas intentatas calumnias, linguæque venenatæ virulentias vllo modo effugere potuisset. Exemplo sint & lingua Musarum perpolita, ipsissimis

gratijs consecratæ; Hebrea, Græca, Latina; Testes & Artes ipsæ & Artium cultores, necnon Sacratissimarum facultates omnes, quiq vnquam extitérunt professores celeberrimi, siuè Theologi, siuè iuridici, siue medici Annon Protagoras Homerum inscitiæ insimulauit? Annon Accursius linguam Græcam è legisprudentiâ exterminavit? Græcum est (inquit) non potest legi. instit. de Empt. & venditione. immò insulsus ille ludimagister Alcibiadi respondit; se habuisse Homérum propriâ suâ manû & marte emendatum? Quis vnquam impudentissimorum Criticorum Scommata ac Convitia (si Ecclesiæ vel Reipublicæ consulere voluisset) effugere potuit? Calimachus Grammaticus, magnum librum, magno malo parem esse iudicavit. Dignum profectò inepto Critico iudicium: quasi Moles librum faciat & non potiùs Doctrina & Methodus. Rheminius Palæmon Grammaticus sibijpsi de veteribus omnibus iudicandi facultatem arrogavit: Talem Censorem rigidum extitúrum prævidisse Virgilium verosimile est, qui ita cecinit

Pet. Ramus li. schol. Gram. 14

§ Item pretium.

Plut. in vitâ Alcibiadis.

Athenæus lib 3: cap. 1.

Iudicet hæc quivis, vel qui venit ecce Palæmon.

Iohannes Dullardus Ludovici Vivis Præceptor in Theologia Sorbonicâ & Sophisticâ, sæpissimè illud auditoribus suis instillavit.

L. Vives de Causis corruptis Disciplinæ.

Quanto cris melior Grammaticus,
Tanto peior Dialecticus & Theologus.

Momus Naturam incusavit, quod Bobus cornua in capite, ac non in Armis potiùs addiderit, quo viz. vehementius ferire possint.

Arist de Animalib. lib. 3

Sed nùm melior sit Theologorum Conditio videámus & perpendamus. Annon ipsa Ecclesia in concreto, Sponsa Christi & veritatis fundamentum rabidis Tyrannorum morsibus & Hæreticorum Sannis semper

fuit

fuit obnoxia? Annon nuda in Antris delituit? Annon in Eremum & Deſertum, Adverſariorum machinis, Technis, telis & inſidijs fugata eſt? Cant. 2. Apoc. 12.

Annon Sacratiſsima Scriptura, lux Mundi divina gratia, Norma vitæ & ſaccarium Dei ſpernitur damnatur, iudicatur, & ſqualidis Manichæorum Anabaptiſtarum, Donatiſtarum, Puritanorum, Browniſtarum, Maximillianiſtarum, Priſcillianiſtarum (ne quid vlterius viam) Cenſuris & ineptiſsimis cachinnis ſubijcitur? Aug contr. Fauſtum li. 28 cap 2 & de vtil. credendi ca. 3 Irenæus l. 2. cap. 16.

Eckius aut benè potus, aut malè ſanus ſic Cenſoriâ virgâ comprimit Scripturas: Oportet alium eſſe iudicem (inquit) quam Scripturas. Chriſtus non ſcripſit aliquem librum, nec præcepit Diſcipulis vel Apoſtolis ſcribere. Sic etiam blaterat Anthonius Florebellus Italus. C. de ſcripturis. C. de eccleſ. Lib. de author eccleſ.

Andradius ſcripturam ſacram Aeneum nuſum appellat. Alphonſus non iudicem ſed teſtem. Libr. 2. Lib. 1. ca. 8.

Eckius item Scripturarum calumniator impuriſsimus; Sine Authoritate Eccleſiæ, ſcriptura non eſt authentica. Imò: Eccleſiæ poteſtas ſupra Scripturam eſt. Cap. de eccleſijs.

Melchior Canus Scripturam, Mortuum iudicem appellat. Stephanus Paletz: Rem inanimatam nominat. In Reſp. Io. Huſſ. ad Stephan. Paletz.

Latomus de ſcripturis ſic Categoricè & Hiſtrionicè concludit: Scriptura obſcura & ambigua eſt. Omnéſque qui aliter ſentiunt, inſanos eſſe perfrictâ fronte denuntiat: Qui Scripturis adhærent, Atramentarios Theologos appellat Eckius.

Petrus Sotus ſpurciſsimus nebulo, ſacroſanctam Scripturam Rem vocat Parvi aut Nullius momenti, cui, cum Spiritû ſancto nihil eſt negotij. Pet Sotus.

De

De nostræ autem ætatis Theologis invictissime Monarcha (vt priscos omittam) quid sit dicendum non facilè dixero. Omnes ferè invicem committuntur.

Alter alterum convitijs lacessit, lacerat, proscindit: Alter alterius scripta torquet, depravat, mutilat, cribrat, volvit, revolvit, spernit & damnat.

Tot enim homines, tot ferè sententiæ; vbicunque Christianarum terrarum venerit Philomathes, nihil ad Ecclesiæ ruinam magis pullulare perspiciet, quàm sectas, seditiones, hæreses, dissidia, contentiones, rixas & controversias, non pro aris & focis, sed pro rebus nihili, Nominibus, ἀδιαφόροις & rebus mediis. Hinc tot oriuntur familistæ, Donatistæ, Brownistæ, omnibus antiquis hæreticis pestilentiores. Imò & quemadmodum nonnulli scriptores ab alijs dissentiunt: ità inter se etiam discordant. Discordant Alphonsus & Ferus: Canus & Eckius; Alanus & Campianus: Campianus & Copus; Copus & alij Pontificij: Papistæ & eorum Canones: Triburienses Patres & Caranza de sententiâ Paphnutij. Sic nostri temporis homines fanatici: vt à nobis in εὐλαξίᾳ Ecclesiasticâ & rebus in Ecclesiâ constitutis dissentiunt: ità inter se alius ab alio discordat. Charitativi Familistæ Anglo-Donatistas execrantur. Brownistæ vtramque factionem Familistas nimirùm & Puritanos damnant: in hoc tamen vno omnes consentiunt, vt publicam Ecclesiæ nostræ Pacem eiusque Politeian, in frusta convitijs dilacerent, & in doctissimorum virorum huius Monarchiæ scripta vnguibus involent & dente Theonino incurrant: quod & illi ex bonâ conscientiâ & sacrarum literarum authoritate se facere perfidè iurant: Quemadmodum olim ille Laudimus Episcopus in se. ex Scripturis probaturum recepit Iohannem Hussium errantissimum Theologum

Dissentiunt Pontificij inter se. Sic Hæretici omnes Aug. in Matth. Serm. 22.

Cap. 6. in secunda parte voluminum Io: Huss.

ologum in Concilio Constantiensi esse Concremandum: Hic enim deplorandus Theologaster ex Epistolâ ad Romanos textum invenisse gloriatur, quo (procul dubio) Iohannem Hussum extingueret. Sic etenim Cæsarem Sigismundum compellavit ex sexto capite ad Romanos: Vetus Homo noster simùl crucifixus est, vt destruatur corpus peccati: Aequum est igitur (inquit) Imperator invictissime, vt Hæreticum hunc in suâ malitiâ rigidum, in cineres quàm citissimè redigas. Siccinè solent Pontificij concludere? ignoscite: Durum telum Necessitas.

Quùm ita ergò se res habeat Serenissime Princeps, vt nemo mortalium (qui suis laboribus ecclesiam Christi iuvare studeat, sycophantarum maledicta effugere queat: ne quispiam miretur, doctissimos plerósq; viros, potiùs obstinatum sibimetipsis silentium imponere, quàm seipsos suósque labores (plusquam fortassis Herculeos) omnium hominum iudicijs, (imò hominum quisquiliarum calculis & convitijs) exponere. Notum enim esse arbitror, quàm plurimos esse, quibus aliorum ingrata maledicentia, à publicis rebus, animum ita alienârit; vt eos nullius vnquam facti, quàm se manum semel Tabulæ admovisse, æquè pœnituit; Tantum abest, vt aliquid de integro attentare studeant.

Imò quùm alios invidiam potiùs quam gratiam, inimicos quàm amicos ex rectè factis, contrà naturam, ex solâ hominum malitiâ sibi conflâsse perspexerim: aliorúmque Censuris plusquam Cynicis, nunc hinc nunc indè mordicùs impeti sciam: Adde quòd nihil tàm benè sit dictum, quod non sit aliquando reprehensum, nulliusque animum ita syncerè erga bonas litteras affectum animadverterim, qui apud multos aut vanæ gloriæ aut superbiæ notam effugiat: hoc solum superfu-

isse

ipse in animum induxi meum, vt cum aperiè in his, moroſis hominum moribus placere neſciam, nulli ſaltèm ſilentio diſplicere ſtudeam. Nunc verò neſcio quo pacto, obſequióne in amicos, an ſtudio in rem communem, an vtroque effectum ſit, vt in Publicum iam tandem poſt annos ſexaginta prodire decreverim, & hos meos in Epiſtolam D. Pauli ad Coloſſenſes Commentarios prælo committere ſum auſus.

Plato in Cratylo. *Fortè tempora mutantur, Et*

Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς ἐπίφανει.

Novus aliquis Genius nobis ex improviſò, apparere videtur. Quod ſi verum ſit, me laboris non pœnitebit: ſin minus Ictus Piſcator poſthàc ſapiet. Si verò tempora præterita ac præſentia invicem conferre liceat, multa nunc quam olim neceſſe eſt vt ſim animoſior. Satis enim ſuperque ex aliorum doctiſſimorum virorum diſpendijs expertus ſum, quid præſtantiſſimorum virorũ ſcripta olim ſint lucrata: nempe infamiam, invidiam, odium; partim ex illorum ignorantiâ quibus opera eorum tam præclara, ſunt conſecrata: partim ex Sycophantarum malevolentiâ (ne dicam truculentiâ) in quorum manus, volumina nunquam ſatis laudanda inciderunt, ſed (inquiet quiſpiam) Redeunt Saturnia Regna.

Diviſum imperiũ cum Iove Cæſar habet. Experiar: Sat citò ſi ſat benè. Non poſſum etenim (clariſſime Monarcha) graviora vel diriora experiri quam nuper ſum perpeſſus. Noſtrum (veſtrum dixiſſem illuſtriſſime Princeps) Collegium Yoghulenſe in Hibernia dirutum eſt: Studioſi omnes ac eiuſdem Collegij ſocij (ſicariorum ac Proditorum ſæuitiâ) fugati aut immanitèr trucidati ſunt: Theologica Cathedra funditùs everſa eſt. Bibliotheca noſtra preciociſſimis libris & authoribus

bus referta, combusta est. Pietas & linguarum sacra professio, ad Garamantas vsque profligata est. Annon tunc temporis, Tempora fuerunt calamitosa? Dura sunt hæc quæ refero clementissime Princeps, sed vera, & omnibus qui Christum in Hiberniâ nôrunt & sunt professi sive docti sive indocti nota & communia. At, inquiunt Nonnulli:

Μὴ κίνει κακὰ κείνα, ἀκίνητος γὰρ ἄμεινον. Steph:

Ne moveas Camarinam etenim nõ tangere præstat. Respondeo: Hanc tàm deplorandam cladem & stragem, nullo modo tacere vel possim vel debeam, quum hoc bellum intestinum, post hominum memoriam longè fuit crudelissimum. Deinde nostra infortunia cò levius & facilius ferimus, quo in tuam sacratissimam Maiestatem inciderimus, quæ vnà nobiscum condolescere solcat. Et τῷ δυστυχοῦντι πᾶς, τερπνὸν τὸ λέξαι κἀποκλαύσασθαι πάλιν. Homini infœlici iucundum est sua narrare mala & ea denuò deplorare. Misera enim revera celeberrime Princeps tunc temporis fuit nostra condtio, quùm nudi, spoliati & rebus omnibus privati, facti sumus, spectaculum Deo, Angelis & hominibus, vndique miseriis circumspti, in angustias redacti, & per exteras Regiones & Academias, penuriâ laborantes & Aëris intemperiei expositi, vagari & expatiari sumus coacti. In quo nostro exilio, paucos invenimus amicos; quosdã tamẽ excitavit Deus Opt: Max: qui nobis miseris & egenis, eruditionis ergò succurrere sunt dignati. Basilie enim, Honorandum senem Io: Iacobum Grynæum & Amandum Polanum Theologos insignes: Heidelbergæ doctissimum Franciscum Iunium & Hæredes præstantissimi Hieronymi Zanchij Neustadij: Lædanæ, Iosephum Scaligerum illustrissimum philosophum & virum plane Archimedeum lin- Euripides. Io Iacob. Grynæus. Fran. Iunius. Henric. Conchardus. Georg. Gabelus. Ioseph. Scaliger.

guarum peritißimum nobis amiciſſimos habuimus. A Theodoro Bezâ etiam Genevenſis Eccleſiæ Paſtore eruditiſſimóque Theologo perquam humaniter ſumus excepti. Tandem domum reverſi Nemo (quem ſciam) noſtri miſertus eſt. Imò & illi quibus indigentibus, ope & opibus mirum in modum ſumus opitulati, tantum abeſt vt noſtram inopiam ſublevârint vt à conſpectû noſtro penitùs ſe ſubduxerint: inter quos multos non contemnendi ominis & in Eccleſiâ authoritatis recenſere potuiſſem. Nec aliam huius ἀσοφίας cauſam conjicere queam, quam

Non habeo quoniam nummos vaſa Aurea, menſas,
Quas ornant Gemmæ, ſub quibus albet Ebur:
Nec mea Centenis inſurgunt tecta Columnis,
Nec domus antiquis fulget imaginibus,
Prædia nec gravidas Cereris mihi munus ariſtas,
Producunt vites nec mihi Bacche tuum:
Nec meus eſt Oſtro ſonipes nec ſplendidus auro,
Nec nitet in digitis ſplendida Gemma meis:
Inſanum me Cerdo vocat, ſutórque fabérque,
Inſanum Dives qui caret ingenio.
Accuſat, mordet, lacerat, damnatque fugatque,
Nec me Parnaſſus nec ſua templa iuvant.
Nobilis eſt tantùm Dives, magnúſque potènſque,
Solus habet ſocios, ſolus in Orbe valet.
Laudatur, Petitur, Colitur, Cælebratur, Amatur.
Eſt Prætor Solus, eſt quoque Solus Eques.
Sed meritis hominum ſi dividerentur honores,
Inſanum qui me, qui ſine mente vocant:
Inſanum ſeſe, ſeſe ſine mente viderent,
Solus honor merito qui datur ille datur.
Hùnc non immeritò ſum Conqueſtus:
Tota fuit ſtulto conſumpta labore Iuventa,

Paſce-

Paſceret vt vatem vita beata ſenem.
Invida Canicies properat, Nil Phœbe propinas,
Nil mihi das Helicon, Pegaſis vnda nihil.
Coccina fert humeris & ſerica quæque ſatelles,
Et Pathicus Leno, Pharmacopola, Cocus.
Horum eſt quicquidque auditur in Orbe Monetæ
Nil aliud Præco quam benè dixit habet.
Nullâque nunc curat Reſpublica carmina, rarus,
Briſtoleâ vates num ope dives erit.
Heū miſeram ſortem, durámque à ſydere vitam
Quam dat doctiloquis vatibus ipſe Deus.
Sive Deus, ſeu fata ferant, ſeu noſtra voluntas,
Sunt miſeri ingenijs qui micuere ſuis.
Vergilius patrios miſerandos perdidit agros,
Et ſervus ſtabulis factus in vrbe fuit.
Proſcriptus Geticas habitavit Ovidius Oras,
Et procul à Patriâ, Barbara regna tulit.
Tarpeiæ inviſus fuerátque Horatius vrbi,
Solus Mæcenas verus amicus erat:
Aſt ego Baxterus ſacrorum Cantor amorum,
Quos pia poſteritas non ſine laude canet,
Me miſerum, Quoties iniuria ficta laceſſit,
Innocuam vitam commaculare ſtudens?
Forſitan hæc nobis Deus ad meliora paravit,
Vt pateat vitæ candida fama meæ.
Accedunt iactis ingentia pondera telis
Infirmus lecto volvar vt ipſe meo.
Iámque miſer iacco, cunctis deſpectus amicis:
Dum me Pauperies vexat amara lues.
Ergò ſi miſera eſt vatum fortuna, valete
Sacræ Pïerides ac Heliconis Opes.
Carmina do Scombris, doctas iam linquo Camænas,
Sic deſertus Olor morte premente cano.

Præfatio.

Præmia nulla refert Scriptor; vix tanta Poetæ
Aera ſonant, tenues comparet vnde libros.
Tu genus nullum reperis ſub ipſo
Syderum lapsû inferius Poëtis
Vilius ſacris nihil eſt Camænis
Tempore noſtro.
Quid manum prodeſt ferulæ minantis,
Tot pati pœnas teneris ſub annis?
Et metû ſequi Samium bicorni
Tramite cahem?
Quid iuvat longas vigilare noctes,
Igne ſecerni Boreâ furenti,
Ducere & mœſta iuvenilis ævi
Tempus in vmbrâ?
Scribimus longos veterum Triumphos,
Conſulum faſces, Equitúmque pugnas,
Carpimus luxum, pariter docemus
Dogmata vitæ.
Nemo tam claro genitus Parente,
Nemo tam clarâ probitate fulſit,
Mox edax quem non perimit vetuſtas
Vate remoto.
Sed ſui nunquam pretium laboris
Sentiunt vates: alios & Aurum
Veſtit & Gemmæ, miſeris Poëtas
Trita lacerna eſt.
Pictor ex Pictæ pretio figuræ
De Tubâ vivit Tubicen Cancrâ
Paſcit Ars Omnes, ſua ſola damno.
Muſa Poëtæ eſt.
Iam Palus triſtes retinens arénas
Eſt vbi fontes fuerant Meduſæ:
Iam ruit Rupes tibi ſacra quondam
Mitis Apollo.

Præfatio.

O Duces magni, ingenuíque Reges,
Imperatores, Equitéſque clari,
O Boni damnoſam Heliconis Omnes
Flete ruinam.
Nam Mî! dum vigilo perit Papyrus,
Et magni emptum Oleum vorat Lucerna,
Tùm veſtes nimio teruntur vsû,
Inſomnes mihi Pruriunt Ocelli,
Dum noctes alijs meas repono.
Verùm hæc nemo hominum mihi reſarcit:
Sic grati pereunt dies & Anni.
Occultis pedibus venit ſenectus,
Dum Phœbum ſequor & Novem ſorores
Et plectris ferio lyram ſonoris.
Impunè (O mala Cæcitas) canentem
Verſus, ſolicitat furens egeſtas,
Et gratis tamen audiunt Poëtam.

Hendecaſyl.

Ea erat (ſereniſſime Princeps) olim in noſtro reditû (qualis etiam adhuc reſtat) Collegij, Capitis, Membrorum miſeranda conditio ac deflenda facies. Caput carceri includitur ex Honorandi Cuntuarienſis Archiepiſcopi mandato, quaſi iram tuam concitaverim: quòd Epiſcopatum Dublinenſem à tuâ clementiſſimâ Maieſtate poſtulavit, quodque etiam ſibi nimium de tuâ liberalitate pollicebatur: Membra miſerè diſſipantur: Coniux Baxteri cum Marito ac liberis miſerè pereunt, niſi tua ſereniſſima Maieſtas, his calamitatibus ac miſerijs, quàm citiſſimè finem imponat ac medeatur. Hoc unum mihi reſtare videtur: Quamdiû vixerit Iacobus totius Britanniæ Monarcha, ac invictiſſimus fidei Chriſtianæ propugnator: tamdiu (inquam) ſperandum non deſperandum eſſe cenſeo:

Cap-

Præfatio.

Theocr. in Batto.

Θαρσεῖν χρῆ φίλε Βαττε, ταχ' ἄυριὸν ἔσσετ' ἀμμεινὸν, &c.

Fidere Batte decet, melius cras forsan habebis,
Sperandum est vivis, non est spes vlla sepultis:
Non pluit, ast claro nunc Iupiter æthere fulget.

Nàm neque perpetuas sentit Maris vnda procellas,
Nec furit æternis Thamesis vnda malis.
Nec semper nautis ratibusqúe Odiosa Charybdis
Murmurat assiduis improba vorticibus.
Fulminibus iactis, tonitrúque per Aëra moto,
Tandem Pacati desinit ira Iovis.
Dum satis Aematheo Boreas certavit Olympo,
AEölij tandem carceris antra petit.
Dumqú satìs pluviæ terris dedit Imbrifer arcus,
Pura serenatis nubibus aura redit:
Sic vbi inhumanas fortuna exercuit iras,
Tota novercali plena frequénsque odio:
Afflictis tandem pacato numine ridet,
Dátque adiutrices quæ nocuere manus.

Hìnc ergò (illustrissime Monarcha) confidentèr memetipsum morbidum & ferè moribundum erigo, virésque languescentes recolligo, vt literario hoc munusculo tuam sacratissimam Maiestatem quàm humillimè salutarem. Et in apricum, hoc est in vestrum conspectum, Ego Terræ filius ac ferè perditus (vester tamen subditus, & olim Regiæ Maiestatis Elizabethæ beatæ memoriæ Confessor Publicus ac Capellanus domesticus) tandem aliquando prodirem;

Viribus effœtum iam me premit aspra senectus,

Nec

Nec nunc è tumulo, nec nunc è Manibus istis
Nascuntur violæ — —

quas ego tuæ Celsitudini consecrarem. Non Gemmæ, non Margaritæ, non speciosa gloriæ specimina, plena vel dignitatis vel vtilitatis sunt nobis à Deo concessa, (quæ tamen & vestris meritis magis quadrarent, & à d tioribus & doctioribus & expectantur & quotidiè offeruntur.

Humillimè tamen Tuæ Maiestati clementißime Princeps, hos Commentarios in D: Pauli ad Colossenses Epistolam, methodicè & artificiosè conscriptos offero, vnà cum totius Epistolæ tabulis Analyticis. Opus (fortassis) tuo sacratißimo conspectû & Patrocinio non indignum, quùm mysteriorum Christi castus sit Tractatus; in quo præterquam quod Omnium Orthodoxorum Patrum & Neotericorum scriptorum sparsim divulgatas sententias in vnum fasciculum congesserim: Artem etiam & Methodum, quâ vsus est spiritus sanctus à nemine antehac (quòd sciam) propositam, ad vivum depinxisse mihi videor.

Potuissem fortassis, & facile Hieronymo subscribere, quùm hodiè librorum scribendorum nullus sit finis, qui sic ait: Si Omninò huic Operi supersedissem, optimè fecissem ne in sylvam ligna feram: Aut enim eadem diceremus ex superfluo, aut si nova voluerimus dicere, à clarissimo ingenio occupata sunt meliora. At aliter suadent & Dei sanctissima voluntas, & nostræ religionis certissima veritas, in hac Epistolâ ad Colossenses comprehensa, & Patriæ arctissima Charitas, & vnitatis in doctrinâ Evangelicâ ampliſsima commoditas, & vestræ Celsitudinis (clarissime Princeps) Candor Adverſ. Pelagianos lib. 3.

ſummáque bonitas : nec non (fortè) Miniſtrorum quorundam intolleranda loquacitas, qui ſine mente & methodo, ſine Cerebro & Sale ſuggeſtum ſeptiès in die conſcendere non erubeſcunt, & ſacratiſsimum Dei verbum illotis manibus & indoctis ſuis commentis, ad nauſeam vſque vociferando obſcurare, (non explicare) ſunt auſi : Quorum impudentiam & imperitiam quis patienter ferre queat? quum plus detrementi quàm incrementi, ex huiuſmodi Blateronibus Eccleſiæ Chriſti contingere ſoleat.

Qui enim de aliquo ſacræ ſcripturæ contextû artificiosè & cum fructû diſſerere velint, aut Theologiam ipſam, haud oſcitanter ſupinéque vel ſibi comparare, vel alijs proponere cupiant, Methodum ſibi magno eſſe vſui conſidenter credat. Methodum inquam, tùm definitivam & diviſivam, tùm demonſtrativam & reſolutivam. Nam qui ſe ſine Methodo artem aliquam acquiſiviſſe credit : eum Artis vmbram non Artem ipſam habere dixit Plato.

De Methodo.

Vt cum Venatores, niſi certas vias certáque veſtigia, quæ ad Cubile ducant ſequantur, feram nunquam videant aut capiant : Ita Theologiæ ſtudioſi, niſi Methodi tanquam viæ cuiuſdam ductum ſequi velint, veram Theologiam aut Concionandi rationem nunquam conſequi poſſunt : vſque adeò, Methodum tenere magnum eſt : Quam qui neglexerit aut parvi fecerit : Eſt in ſuggeſto tanquam Canis in Balneo.

Simile.

Pulpita conſcendens loquitur non prædicat ipſe.

Huius Methodi, in explicandis ſacris ſcripturis, quantus ſit vſus : In his noſtris Commentarijs, tanquam

quam in ſpeculo, candidis Lectoribus contueri licet, quibus & Ego ex animo propino & perquam humiliter guſtum præbeo. Quùm autem nemini rectiùs vel commodiùs, quam tuæ ſacratiſſimæ Maieſtati (ſereniſſime Monarcha ac Princeps invictiſſime) Labores meos conſecrare vel poſſem vel debeam, quippe qui tum de totâ Religione in Concreto, tùm de vera eiuſdem prædicatione in Abſtracto, præclarè iudicare valeas: Ne me quiſpiam præſumtionis inſimulet, quod Ego in his miſeriarum flammis ad tuum doctiſſimum nomen & patrocinium confugiam.

Tuam ergò Celſitudinem & ſacratiſſimam Maieſtatem humillimè rogo, vt pro ſolito amore tuo in Chriſtum ac veritatem, pro Excellenti tua in omni diſciplinarum genere ſcientiâ, & quâ meritò polles dignitate, hiſce noſtris Commentarijs gratiam conciliare atque ijſdem patrocinari velis: Errata ſive meæ infirmitatis, ſive alienæ negligentiæ gratioſè condones, nullo modo aut voluntati perverſæ, aut ſtudio quemquam fallendi aut traducendi tribuas. Oro enim Dominum Ieſum cum fulgentio doceri multa plura quæ neſcio, à quo accepi pauca quæ ſcio. Rogo vt præveniente ac ſubſequenti miſericordiâ, quæcunque ſcienda neſcio, doceat me; in his quæ vera novi cuſtodiat me; in quibus vt homo fallor corrigat me. Rogo denique impenſiſſime T. C. vt ſolito candore meam voluntatem interpreteris, autheritate tua tuearis; Priſtino favore ſtudia noſtra proſequaris, & hoc literarium Munuſculum. In ſempiternum nominis tui Auguſtiſſimi memoriam & noſtræ obſervantiæ teſtificationem perpetuam oblatum, ſereno vultû accipere digneris. Poſtremò Deum Optimum Maximum rogo vt hanc tuam Monarchiam Ad Monimum.

narchiam quàm diutissime Tuæ Celsitudini fœlicissimam reddat, stabiliat, fulciat, conservet, Tuum in eâdem Cursum & Regimen omni benedictionum genere locupletet: & fecundet T. C. sibi, Ecclesiæ Scholis Reipublicæ florentissimam conservet, in omni bono confirmet; Spiritû Consilij Maiestatis & fortitudinis instruat, verâ laude decoret, virtute armet, verâ pietate ac Religione fœlicissimè coronet, & tandem Nestorijs Annis saturum in æternùm cum Christo victurum perducat. Ex Antro Leonum: Septembr. xviij. 1605.

Tuæ Maiestatis

humillimus subditus,

Nath: Baxterus.